



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

6. Qvo Steterant Aqvilæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

6. QVO STETERANT AQVILÆ. Præcipuum Romanæ militiae signum, quod in omni legione in primâ semper cohorte præferri, & in castris ante prætorium in terram defigi solebat, nec prius hibernis moveri, quâ universus exercitus egredieretur, aut captatis auspicijs legiones in prælium prodirent; hinc Virgil. Aeneid. II.

— Vbi vellere signa

Annuerint superi.

7. JVRA DEDIT SIGNIS PERNICIOSA SVIS. Quia cladis, quâ signa amissa, occasionem dedere. Flor. lib. 4. c. 12. Itaque improvidum & nihil tale metuentem improvisò adorti, quum ille (O securitas!) ad tribunal citaret, undig, invadūt, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Vellejus lib. 2. Quo proposito (Varus) medium ingressus Germaniam velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine trahebat astiva. At illi simulantes fictas litium series, & nunc provocantes alter alterum injuriā, nunc agentes gratias, quod eas Romana justitia finiret, feritāsque sua novitate incognitæ discipline mitesceret, & solita armis discerni jure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quinctilium, usque eō, ut se prætorem Urbanum in foro jus dicere, non in medijs Germania finibus exercitui præesse crederet. Ita cùm aliàs provinciæ vi partæ jure retineantur: Varus jus dicendo, & negligendo arma, signis & rebus Romanis perniciem in Germania fecit.

8. HVC PROPERA. Quo manifestissima Velleji, Taciti, & Dionis testimonia, locus ad præsidium, hiberna, bellum contra Sicambros, Cheruscos, Marsos, Bructeros & reliquas finitimas gentes sustinendum & gerendum, ad iter, commeatum, & expeditiones Visurgim versus, ad aquationem, annonam exercitūs, equorum pabulum opportunitus